



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Melos, Sive Oda De Nuptiis VVolfgangi Rechlinger, Caroli  
VVolfgangi F. Patricij Augustani, Sponsi nobilissimi: Et  
Euphrosynae Hainzeliae, Magni illius Ioan. Baptistae  
Septemviri F. Patriciae ...**

**Reusner, Nikolaus**

**Lavingae, 1582**

Epigrammata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12450**

EPIGRAMMATA.

Ad VVolfgangum Rech-  
lingerum Patr. August. Sponsum.

Quæ thalâmo nubit tibi nunc VVOLFANGE  
(ingall)

*EUPHROSYNE*: Charitum nomine letatit  
Letitia vna tibi, vel Gratia sola futura est.

Nam Charitum trias est sola, vel vna monas.  
Sic anima est anima, & cordis cor amabile nupta

*EUPHROSYNE*, & vitæ viuida vitæ tana.  
Nec Lis iam turbare torum, nec Cura valebit:

Letus amor Charites, Paxque, Quiesq; decet.  
Faxit Hymen, vnum quum sitis corpus, Amore

Tu generes, Charites nixa det illa nouas.

Ad Euphrosynam Hainze-  
liam, Ioan. Bapt. F. Patr. August.  
Sponsam.

Tres quondam Charites finxit venerâda vetustas,  
Euphrosynen, Thalian, Aglaianque deas.

Finxit & has saltem, sed re nō præstiti vnquam.  
At mihi vera magis, quàm modò ficta placent.

Aut vt ficta minùs credam: quàm mortua, viuos  
Semper delectant corpora viua magis.

Quid sibi vult istud? Charis aut es sola, vel vna  
*EUPHROSYNE*, Charitum maxima quæ  
(soror est,

Gratia, forma, decus respondet, & ipsa venustas  
Corporis: & nomen res facit esse ratum.

Ad Carolum VVolfgangū

Rechlingerum, Patricium Augul-  
tanium, Sponsæ Socerum.

Si quis sensus inest defunctis, CAROLE, morte:  
Dum celebras nato connubiale sacrum:

Credo equidem, sacer ille tuus SEVTERVS,

(et vna

CONRADVS profocer PEVTIGER

(ille tuus:

Masarum antistes, & iuris cultor vterque:

Percipiunt animo gaudia vera suo:

Quando sua gentem cum gente coire vetustam

Tot claram cernunt, conspicuamque bonis:

Quam Pater ille noua commendat denique nuptæ:

Sospite quo nuper patria sospes erat:

Quo moriente, mori simul ipsa videtur: & orba,

Flet mæstis, tanquam patre, gemitque modis.

Et merito. nam laude sua simul, atque suorum

Censeri, generis maior habetur honos:

Sicque manet patrum virtus in gente nepotum

Semper: & augetur mentis honore genus.

Dij faciant, vt sic tua sorte propago secundâ

Crescat: & æterna laude perennet ouans.

A 4 Ad

Ad Ioan, Henricum, & Io  
Baptistam, & Io. Fridericum Hainzelios,  
Patr. August, Sponsæ Fratres.

*Non eadem fortuna, nec est fors vna dierum:*

*Tempestas eadem nec solet esse diu.*

*Ipsa dies pia nunc mater, nunc dira nouerca est:*

*Post tenebras lux, post nubila Phæbus adest.*

*Omnia tempus habent: luctus, & gaudia secum,*

*Sed vice fert grata, proxima quæque dies.*

*Namque voluptatis comes est dolor: vnaq; sortet*

*Fert Iouis, vna bonas, altera plena malas,*

*Post luctum sic læta refert modò gaudia vobis*

*Fausa dies, versu concelebranda meo:*

*Qua soror EUPHROSYNE VVOLF-*

*(GANGO cara mariti*

*Nubit, Acidalia pulcior Euphrosyna:*

*Exemptum morum magnum, castique pudoris,*

*Ac decus: & sexus gloria magna sui.*

*Sic RECHLINGERA cum gente HAIN-*

*(ZELIA fœdus*

*Gens init, & pactum connubiale facit.*

*Gratulor, & si quid possum, mea pectora cara,*

*Largiter ex animo iam bona verba precor:*


*Gaudia ne luctus, vel mœror amaricet vllus:*

*Et, quod cœpistis, sic benè cedat opus.*

Ad

Ad Carolum, Car. VVolf-  
gangi F. Rechlingerum, Patricium Au-  
gustanum, Sponsæ Leuirum.

*Spes ab Ausonia quod sis regione reuersus:  
Gratulor, & letor, CAROLE, spontè tibi.  
Nam cum fratre tuo festum celebrare iugale  
Sic potes, & thalamum condecorare sacrum.  
Fallor? an & sponsus tu nunc eris alter ab illo?  
Sæpe nouum secum fert hymenæon hymen.  
Spectatum venies: venies specteris vt ipse:  
Crede mihi, spes mox huius, & huius eris:  
Optet amatorem quæ toto pectore fidum:  
Ac sponsum cupido te vocet ore suum.  
Nam blandos in te vna, vel altera figet ocellos:  
Protinus in niueo cui micet ore rubor.  
Laudo, nec inuideo. nam dignus coniuge digna es:  
Qui decoras animi nobilitate genus.  
Omen in euentu est: euentum deinde gubernet,  
Qui mentem vobis hanc dabit, ipse Deus.*



A S EPI